

III.

NEOVIDENSIS

Nro 80. (*Neovidensis* 1805. Nro 77.)

*Secretum litterarum commercium inter
vivos ac mortuos.*

Epistola data ad Hugonem Grotium in
campis elysiis degentem

ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 8. Oct. 1805. (Neov. 24. Sept.)

Clarissime virorum!

Opera tua, quæ de jure belli, & pacis
scripsisti, sunt breviarium politicorum, in
quo quilibet Minister suæ politicæ quærit
principia, Interim, si res ad bellum veniat,
non semper consentiunt, & sæpe toto cælo
diversa statuunt principia se mutuo impu-
gnandi.

Legeris, non dubito, Notas Gallici gu-
bernii, quas nuperrime dedimus; nunc tibi
suppeditamus declarationem Aulæ Vindobo-
nensis die 3. Septembris Parisiis traditam,
*Toile & lege in ephemeridibus Statistico-Politicis
Poroniensibus No 77.*

Litteræ cujusdam officialis de *secularisatione* respectu præsentis belli. Amice! Profecto non nosceres amplius Sacrum Romanum Imperium Germanicum. Tempore præteriti belli Abbatia, & monasteria erant — non dico diversoria, sed tamen gratuita diverticula pro peregrinantibus Martis alumnis, — in laudem. Hic comedebamus, bibebamus, fuimus jucundi, hic infirmi, & vulneribus affecti invenerunt gratiosum lenimen. Nunc vero ædificia minantur ruinam, Si alicubi reperiatu bonorum administrator, qui summum duas libras bubulæ apponit mensæ, excusat suam parsimoniam tenuiter ad mensum stipendio. Veteres Cœnobiorum Antistites, quos liberales sumus experti, pensione donati sunt; Qui autem indemnitatem obtinuerunt Principes, eam tenent in suis palatiis, & mensis neutralitatem, ut gratiæ sibi ducere debeat, qui post operosas ceremonias semel potest satiari. Quanta intra breve tempus mutatio rerum!

Londino 14. Septembris. Discessus Gallicarum copiarum ab oris maritinis Galliæ & Hollandiæ omnem ademit nostro gubernio metum de tentanda excensione; Videtur nutasse consilium, jam non adhibebit media defensionis, sed exquisitum adoriatur hostem; triginta armatorum millia disposita sunt ad portus, ut navibus imponantur. Hæ copiæ ad speciem destinantur in mare mediterræ-

neum, quod tamen facili negotio mutari potest, vera enim intentio occultatur. Generalis *Sir John Moore* Dux exercitus in continente nominatus est, ubi etiam fama illustris *Dünourier* artem suam militarem producere meditatur, in quo tamen continentis loco hæc expeditio effectui danda sit, an in Italia, vel Hollandia, nondum constat.

Sir Sidney Smith cum multis navibus petit oras maritimas Galliae, illi etenim commissum est navigia gallica disturbare; Nunc scimus Gallico Hispanicam classem *Gadibus* obsideri a 28 navibus primæ magnitudinis; *Calder*, & *Collingwood* se in hunc finem 26 Augusti conjunxerunt, hic posterior summam tenet præfecturam, quod aliquod mensibus diutius mereat stipendia. Admiralis *Nelson* prærit bello in mari mediterraneo, accipiet suppetias, & hætenus in portu *Gibraltar* quiescentes naves secum auferet. Inter nostram, & Russicam Aulam omnia jam plene confecta sunt, & prima quoque subsidia submissa.

Russia, Riga 4. Septembris. Jam a 4 hebdomadibus copiosæ legiones congregantur in littoribus, & nostra vicinia, paulo post ingens numerus navium onerariarum collectus est, & modo animadvertimus finem hujus operationis. Milites naves conscendunt, quorum numerum licet accurate determinare non

queamus, plures tamen esse 35 millibus possumus affirmare. Periti navium gubernatores Dani conducuntur promissis 400 Imperialibus, ut naves nostras in Angliam ad portum Dubrensem transvehant, Idem intelligimus fieri in Svecia. In Imperio Russico omnia spirant bellum, apparatus fiunt terribiles. A prima Septembris fiet universalis collectio tironum, & usque primam Januarii A. 1806 finietur, ex 500 viris duo assumuntur, & prodibunt 150 millia. Petropolitana Politia sub gravi pœna prohibuit omnes ephemerides gallicas.

Germania, Monachio 21. Septembris. Sua Majestas Romanorum Imperator Franciscus hodie hanc urbem est ingresus. Quod Augustana nova sparserunt de subsistente exercitu Austriaco, id ita est intelligendum: jussus est ulterius procedere. Die 20 hujus Cæsareo-gallicus tabellarius properavit Parisiis Vindobonam.

A Mano 29. Septembris. Ex Ducatu Hannoverano exeuntes gallicæ copię 21 hujus ad viciniam Mœni pervenerunt, primarium hospitium Bergæ constituentes, Heri autem, & hodie per dextram Mœni ripam Herbipolim versus proficiscuntur. Prima etiam divisio gallo-batavici exercitus heri Rhenum trajecit, & hodie penes sinistram Rheni ripam per Francofurtum Offenbachium usque properat,

Berolinensibus nunciis de 17. hujus accepimus diditum ibi esse rumorem advenisse in Pomeraniam Svecicam 15. millia russorum; Verum hoc ad vagos pertinet rumores, quales Berolini quotidie nascuntur, sed vesperi iterum evanescent.

Vindobona 18. Septembris. Sua Majestas Imperator hodie cum Domino a Collenbach discessit ad exercitum. Abitus Electoris Bavaricæ Monachio magnam hic excitavit attentionem; Interea ante duas dies allata est huc ejus declaratio, sed qualis, adhuc ignoratur. Aulicæ ephemerides continent nostræ, & gallicæ aulæ declarationes. Heri iterum missus est cursor Parisios. In iisdem rerum novarum commentariis leguntur Russi Moraviam attingisse.

Parisiis 17. Septembris. Cæsareus Austriacus legatus adhuc moratur Parisiis, nec ulla facit dispositiones, ex quibus posset colligi, eum paulo post abiturum. Complures nostri rerum novarum scriptores affirmant, multa adesse argumenta non erupturum in continente bellum.

Hafnia 14. Septembris. In oris maritimis Norvegiæ tanta copia halecum capta est, ut & vasa, quibus imponerentur, & sal, quo condirentur, defecerit. Nostram aulam cum Electoribus Saxonicæ, & Hassicæ invitavit

Rex Borussiæ ad accedendum ad neutralitatem, ut deinde aptæ præsentibus rerum adiunctis possint fieri dispositiones.

Magdeburgo 15. Septembris. Ex mandato Regis sequentes copiæ jussæ sunt se ad bellum parare: Ex Vestphalica Inspectione: 7. turmæ equitum, & 13 legiones peditum. Ex Pomeranica: 23 turmæ, & 8. legiones. Ex Marchica: 10 turmæ, & 10 legiones. Ex occidentali Borussica: 10 turmæ, & 15 legiones. Ex meridionali Borussica: 15 turmæ, & 5. legiones. Ex Silesiaca: 15 turmæ, & 8 legiones; His accedunt 4 legiones venatorum, & 16 tormentariorum, denique ex Magdeburgica Inspectione 5 legiones, & 3 legiones ex Præsidio Berolinensi, hi simul sumti efficiunt 100 millia armatorum.

Vetzlaria, 21. Septembri. Totus Hassiæ Electoris exercitus anno præterito duabus phalangibus equitum, duabus legionibus tormentariorum, 6, præsidiariorum, & tribus regni legionibus auctus, hodie componitur ex 54 legionibus, vulgo *Batalionibus*, & 25 turmis equitum, simul ex 35 millibus bellatorum. Dum nuper Elector Hassiæ repente omnes suas copias contraxisset Cassellas, intra spatium 12 horarum ex diversis locis convenere.

Haga Comitum 16. Septembris. Novos mili-

tes gallos, 12 millia virorum in dies expectamus ex Belgio. Ut navigia in portu Bolo-
niensi, & aliis existentia a tentanda nefors
Anglorum excensione tuta reddantur, con-
gregantur ibi copiæ gallicæ 30 millium. —
Litteræ ex India occidentali referunt, Anglos
fecisse excensionem in insula Curascao, mul-
taque damna intulisse plantationibus, victis-
que Hollandis, bello coptos abduxisse in Ja-
maicam insulam.

Asiburgo 19. Septembris. Urbis hujus ephemerides narrant, gallicas legiones per territorium Electoris Hassiæ depositis armis transivisse, quæ curribus imposita easdem sequebantur.

Erlanga 24. Septembris. In electoratu Bavarico publicatum est, ne ullus fruges, fœnum, butyrum &c vendat, sed potius quilibet his & similibus suam penum instruat. Russicus exercitus non tenet eandem cum Austriaco viam, sed proficiscitur ad sinistram Danubii ripam.

Norimberga 21. Septembris. Illos, qui pro parte Cæsareo-Regia milites conducebant Francofurti, hodie ad nos venturos præstolamur. Ex Hanoverano Electoratu omnes Galli nondum excesserunt, abeuntibus per Hassiam 16 millibus, remanserunt 6. mille viri.

Augusta Vindellicorum 25. Septembris. Heri adhuc sua Majestas cum multis Generalibus morabatur Landsbergæ. In publicas ephemerides relata narratio, Cæsareo-Regias cæhortes ex Tiroli intrasse terram Grisonum, ibique Curiam occupavisse, præpropera est, in litteris enim inde submissis, nulla hujus facti fit mentio. Hodie Cæsareo-Regia cataphractorum Makianorum legio, & pedestris Vürtembergiana pone nostrato urbem transiit.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales
prostant.

Joannis (P. Fr.) Stimulus Compunctionis e soliloquia, Editio novissima, cæteris emendatior. Accedit brevis vitæ Auctoris epilogus, cura, & studio Fr. Idephonsi a S. Aloysio ejusdem Ord. in Etruria. Denique R. P. Bouhours Cogitationes Christianæ pro singulis mensis diebus interprete G. A. Belnay, 8. 1805. 45 xr.

Hertzeg Piripionak tündér története, Wiedland után írta Magyar Földijeinek mulattására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.
Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3 fl. Fényes papirosra 6 fl. 40 kr.

Ieri
bus
he-
cæ-
m,
st,
jus
ta-
ris
si-

es,

e
n-
i-
S.
ue
æ
A.

e-
a-
r.
a'
in
es

N

M

Elysiu

P

duc

cier

sor

am

Di&

tera

sus

lon

mo

col

nes

stic

car

ter